

tasmen, quoad super eam nobis insitam potestatem, quâ  
abolito peregrino accidente liberatur illius occupatione  
debita proportio, nondum invalescunt, & in habitum abe-  
unt, ab instrumentis Formæ nostræ substantialis ad sui re-  
parationem efficacibus exterminabili; Quare si Medicus  
huic naturæ certamini tentet ferre suppetias, non solum  
ab Artis nostræ Magistris salutem attendere jubebitur, sed  
etiam siccitatem non negligere, quemadmodum passim Ga-  
lenus & 1. de ratione viâ. in ac. 8. 13. præcipit: Si contraria  
contrariorum remedia existant, Febris sanè peculiare re-  
medium ut virtute cum refrigerante, tum humectante sit oportet,  
Id namq; febris natura, ut quæ calida & sicca est, contrarium  
erit. Talis siquidem Natura est Ignis.

**SUBJECTUM** alii aliud statuunt, non cauti à diver-  
sitate, quæ est inter Locum putredinis, & primum recipiens  
passivum effectus ejus quod Gal. 1. ad Glau. c. 5. monet. Est e-  
nim alius Materie Remota sive antecedenti locus, Lien præci-  
pue, tum vasa & viscera reliqua, in quibus cœnosæ humi-  
ditates coacervari possunt, aut obstructions fieri. Alius  
Materie proxime omnes nempe viæ, per quas putridæ exha-  
lationes ad cor deferuntur, ut sunt rami venæ portæ, ac  
ab his factâ communicatione, vena cava, atq; arteriæ.

At **PRINCIPALE** morbi **SUBJECTUM** **COR** est;  
Ad cujus extensionem per omnes totius partes porrigen-  
tem mediantibus arteriis potissimum & venis qualitas illa  
extenditur, & sic **ADÆQUATUM** Intemperiei febrilis  
**SUBJECTUM** universum **CORPUS** constituitur.

**CAUSA PROXIMA** est humorum in corde accensio  
& solidæ etiâ ejus substantiæ incallescens. **MEDIATA** hu-  
jus effervescentiæ **CAUSA** sunt putridi vapores exhalantis  
humoris Melancholici, ejusq; non *alimentali* (nec enim cum  
jocle facere possumus, quæ ab hac sanguineæ massæ parte in  
venis putrescente Quartanam generari existimat) sed *crassi*  
& *atri succi* post factam impuriore & seculentioris chyli in  
destinatis visceribus concoctionem ad excernendum *natu-*  
*raliter* superfluis, sed ab obstructionibus in effluxu impe-  
diti,